



**Recessus peregrinorum a Rama in montana Judaeae.**

Vespere facto in die S. Procopii accinximus nos ad iter et ordine, quo veneramus, exivimus de hospitali, sacculos nostros in collis portantes. Transeuntes autem per urbem accurrerunt undique populi, et stabant vici pleni hominibus utriusque sexus, volentium nos videre. Et fuit pressura magna, et cum hoc excitabatur terrae pulvis tam spissus, quod unus socium collateralem vix potuit videre, et si vidit, agnoscere non potuit, propter pulveris densitatem. Nam cappa mea nigra fuit adeo pulvere infusa, quod non nigra sed grisea videbatur. Nullus potuit nec oculos, nec os, prout necessitas exigit, aperire. Et hoc per totam terram sustinuimus, demptis locis petrosis, et quando noctibus peregrinabamur. In arctis viis erat periculum suffocationis propter densam pulverem. In isto tumultu fui trusus casu ad parietem cujusdam domus circa fenestras. Et cum turba tardius moveretur, et me comprehensum ibi teneret, respexi per fenestram in habitaculum. Et ecce ab intus stabant foeminae cum parvulis, et faciebant cum digitis cruces, quas deosculabantur, signantes mihi, quod essent Crucifixi cultores, et videbatur mihi, quod lachrymarentur. Et est bene miseratione dignum, quod incolae terrae illius, in qua crucifixus est Dominus, qui crucem colunt, manifeste crucis signum portare non audent, (SSA) ignominiosa enim est in terra illa crucis gloria et odiosa. Et accidit sanctae cruci sicut sanctis prophetis, qui non sunt sine honore, nisi in patria sua. Luc. 4. Sic crux sancta in sua terra non habet honorem, nec est accepta, sed peregrini de ultimis finibus terrae venientes manifeste circumferunt signum crucis, quia apud eos evacuatum est scandalum crucis. Igitur turbis procedentibus amotus fui a loco, et extra urbem venimus et in campo gregem asinorum nostrorum reperimus cum asinariis nostris, et juxta gregem exercitum Sarracenorum conducere et protegere in itinere nos volentium. Ascendimus ergo bestias et cum magna festinantia contra montana processimus, et in agrum Josuae juxta Bethsames oppidum venimus, in quo agro percussi fuerunt quinquaginta milia hominum, pro eo, quia arcam Domini ibi stantem viderunt, ut dicitur 1. Reg.

241

239

245

235

250

230

290

190

340

140

Ende

Anfang